



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schröteli, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Terribilis Vt Castrorvm Acies Ordinata. a.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

ELECTA VT SOL.

Vide supra, Mulier amicta Sole.

TERRIBILIS VT CA-
STRORVM ACIES OR-
DINATA. &

Terribilis est hæc Virgo communi
nostro hosti, ex vaticinio, & Dei
decreto, quando serpenti dixit, ip-
sa conteret caput tuum. *b* Vnde Fulber-
tus Episcopus Carnotensis ait: *Contriuit*
Maria Virgo caput serpentis, seruando Virgi-
nitatem, & humilitatem, quia & hac ex-
tinxit mentis superbiam, & illa carnis con-
cupiscentiam. Contriuit potentiam Sathane
per filium, quem genuit, spoliando illum do-
minio suo. Contriuit astutiam eius, nempe
sapientiam terrenã, per paupertatẽ Spiritus.
Vnde de illa dici potest, Vna mulier Hebræa

Q. 6

fecit

*a Cant. 6.**b Gen. 1.*

fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.
 S. Bernhardus. a Tu terribilis es O Virgo,
 vt castrorum acies ordinata: An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt, prater morem, armatura fortiore instructam contra se procedere foeminam, foeminam fortem, ad bellum doctissimam, cuius ensis super femur suum propter timores nocturnos. In circuitu eius acies valida spiritualium Virtutum, suo se inuicem ordine tuentium. Sed & innumerabilium Beatorum Spirituum militiam ad ministerium tanti Principis delegatam fuisse, nullatenus ambigimus; vtpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ne preparatum eterno Regi hospitium, alienus hospes inuaderet. Nimirum timor, & tremor super eos venerunt. Nihil addo tam claris tanti viri verbis, ad propositum nostrum explicandum.

Guilelmus paruus, super hunc locum ita habet: Ex quo Maria Dei filium peperit, terribilis Daemonibus fuit: Cum enim viderent eam integritate simul & prole gaudentem,

a In deprecat. ad Virg. Tom. 2.

tem, vehemens illis suspicio incidit, ne forte illa genuisset tot propheticis vocibus olim prænuntiatum Messiam, per quem eorum imperium rueret. Itaque Virginitate illius puerperæ, nihil eis tunc terribilius. Cumque in ipsum puerum intenderent, & aduerterent etiam Angelos de ortu eius gloriantes, stellâq; super eum radiantem, Magos ad eum de regione longinqua cum mysticis muneribus properantes &c. per singula crescebat suspicio, ex suspicione formido &c. Si ergo timuerunt Matrem vagientis in cunis, pro sola suspicione Diuinitatis eius liquidè comperta, reformidant Matrem sedentis ad dexteram Dei Patris &c.

Non pauca exempla reperire est, vbi solum nomen Mariæ ita Dæmonibus terrificum fuit, a. vt velut rapaces aues territi, ex vnguibus prædam dimiserint, deceptas nimirum, & fraude partas animas. Terret hostem in acie ordinata, multitudo, & numerus militum, pulcher ordo, armorum genus, peritia militandi,

Q 7

sapi-

a S. Brigitta in suis reuelat.

sapientia Ducis, opportunitas loci, crebra victoria: quæ omnia in Beatissima Virgine omnibus numeris absoluta reperiuntur. Quod ad numerum & multitudinem militum attinet, subit animū illud Christi Domini ad Petrum; *a an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum?* An verò fas erit dubitare, quia dum pugnat hæc contra hostes suos, minus habere poterit, si à filio suo petat, *cui data est omnis potestas in cælo, & in terra?* Sēsit Iulianus Apostata, (S. Basilio teste,) S. Mercurij Martyris hastam, iūssu huius Virginis eius lateri impactā. Senserunt alij plures Tyranni, qui Ecclesiam Christi infestârunt, huius Advocatæ, & Ecclesiæ Patronæ opem, quæ integras Barbarorum, & aliorum Ecclesiæ hostium acies strauit. Et hoc quo ad externum Angelorum subsidium.

Quoad Spiritus nequam, terret eos multitudo, & numerus propriarum Virtutum,

a Matt. 26.

tutum, & prærogatiuarum huius Virgini-
nis, ad quarum conspectum tremunt,
nec hiscere audent, ita minaci ordine cō-
densatæ sunt: hæc arma, Dæmonibus,
vel ostensa, & intentata horrent. Peritiã
militandi huius Virginis, nimis experti,
quia toties prostrati. Pro opportunitate
loci, de alto pugnat, de cœlis inquam,
contra hos malignos Spiritus tonat, &
fulmina iacit. Terribilis est Hæresiarchis,
qui Diuinitatis, SS. Trinitatis, incarna-
tionis mysterium, & Matris Virginita-
tẽ, blasphemò ore oppugnare ausi sunt:
hi ardent in flammis sempiternis, ipsa
autem triumphat in cœlis. Habuit suos
propugnatores, Ecclesiæ Doctores, qui-
bus arma suppeditauit, sapientiam in-
quam, atque eruditionem, & zelum; hi
similes bestias confecerunt. Vnde ei Ec-
clesia hoc Epinicion canit, *Gaude*.

*Maria Virgo, cunctas hæreses so-
la interemisti, in vniuerso
Mundo.*

PIÆ

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

I.

Magna spes, & fiducia, in hac ter-
ribili castrorum acie ponenda.
Eicebit illud Dauidis vsurpare:
*Si exsurgant aduersum me castra, non time-
bit cor meum; si exsurgat aduersum me præ-
lium, in hac ego sperabo. Quia, si hæc pro no-
bis, tot victorijs assueta, tot triumphis
clara, quis contra nos?*

2.

Huic exercitui me immiscebo, hinc
arma sumam. Si infester à superbia, hu-
militatem huius Virginis opponam, si à
molli carne, huius Virginitatem, imma-
culatam conceptionem, totius vitæ in-
nocentiam, & Angelicam puritatem, ex-
pedita machæra ostendam. *a* Compa-
ratur hæc Virgo turri Dauidicæ, ex qua
mille

a Cant. 4.

mille pendent clypei, omnis armatura fortium. Placuit Romanis clypeus aureus, à Iudæis in symbolum fœderis donatus, mīnarum mille. Sed nihil ille ad nostrum clypeum omnium sperantium in ea: ad hanc clypeum omnia hostis tela diffiliunt, *sicut sagittæ paruulorum fiunt plagæ eorum.*

3.

Neque verò tantum latere decet, in hac instructa acie, vt ignauus miles, alieno præsidio tectus, & securus. Arma propria comparanda sunt; assumendus animus, insurgendum ad pugnam, orandus Deus cum Dauide, vt doceat manus ad prælium, & digitos ad bellum.

4.

Vt acies hæc ordinata sit, agglomerandæ Virtutes erunt, ne vlla ex parte hosti aditus pateat; Vir virum, pes pedem premat. Ita Rupertus Abbas in hūc locum: *Scimus quia castrorum acies, tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata,*

pata,

pata, vt in nullo loco intercepta videatur: Nam si ita disponitur, vt locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur, profectò iam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo, quando contra malignos Spiritus certamen ponimus, summopere necesse est, vt per charitatem simus semper vniti.

§.

In apertum porrò campum, magno animo, & heroico gradu obuiam hosti procedendum, eique minaci framea insultandum, vt ei terribilis appareas.

ORATIO.

O Me ripaspidem, & ignauum militem, Clarissima triumphis Virgo Maria, sub tuo quidem præsidio, & in castris tuis tutus ero, sub tuo scuto inexpugnabili securus latebo; *a* sed doce etiam manus meas ad prælium,
 sup-

a Sap. 5.

fu
at
u
el
ft
o
N
q
r
t

suppedita arma, animos mihi adde, vt audeam, & dextrè queam hosti meo obuiam procedere, intentatos mihi ictus eludere, in ipsum retorquere, ferire, sternere, veri denique militis Christiani officium præclarè facere, & te Duce, ac Magistra, crebrò de hoste triũphare ei-que terribilis apparere. Quæ in cœlis coronata triumphas in omnem æternitatem.

SOLIUM GLORIÆ
DEI.

Vide in Lauretanis: Sedes Sapientiæ,
fol. 56.

EPI-